

The Electronic Manipulus florum  
www.manipulusflorum.com

Voluntas ab  
cum fonte primo

Voluntas est motus rationalis et sensui  
presidens et appetitui. Habet sane  
quocumque se uoluerit, rationem semper  
comitem, et quodammodo pedissequam,  
non quod semper ex ratione sed quod  
nunquam absque ratione moueatur, ita  
ut multa faciat per ipsam contra ipsam,  
hoc est per eius quasi ministerium  
contra eius consilium siue iudicium.

Est uero data ratio uoluntati ut instruat  
illam, non destruat.

Bernardus ibidem (libro de libero  
arbitrio).

Porro  
voluntas est motus rationalis, et sensui  
praesidens, et appetitui. Habet sane,  
quocumque se uoluerit, rationem semper  
comitem et quodammodo pedissequam:  
non quod semper ex ratione, sed quod  
numquam absque ratione moveatur, ita  
ut multa faciat per ipsam contra ipsam,  
hoc est per eius quasi ministerium,  
contra eius consilium siue iudicium.

Unde est illud: PRUDENTIORES SUNT FILII  
SAECULI HUIUS FILIIS LUCIS IN  
GENERATIONE SUA, et rursum: SAPIENTES  
SUNT UT FACIANT MALA. Neque enim  
prudentia seu sapientia inesse creaturae  
potest, vel in malo, nisi utique per  
rationem.

Est uero ratio data uoluntati ut instruat  
illam, non destruat.

Bernardus Claraeuallensis, *Liber de  
gratia et de libero arbitrio*, 3-4 (SBO 3,  
J. Leclercq, C.H. Talbot, H.M. Rochais  
eds., p.168, ll.1-10).